



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

30 leiunare qui non tenetur, potest per Cruciatam in prandio pisces, & in c[o]ena edere oua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

exemptus, alteri prelato sine confensu proprii regulariter se subdere non possit, fallit tamen, quando se prelato subderet, cui secundum ius antiquum subest, & quando nulli inde preiudicium fit, vt in proposito contingit.

DECISIO XXVI.

Ex consil. 52. alias 4. de claud. despon.

26 **F**acultas & dispensatio de comedendo carnes diebus ieiuniorum, cum adiectione, extra *Quadragesimam*, & de consilio *vtriusque medici*, alicui concessa, & dicenti se nobilem, & infirmum, valet, etiam si nobilis non sit, sed infirmus; cum facultas hec concedi soleat omnibus petentibus, cuiuscunque conditionis sint, cum predictis conditionibus; & sola infirmitas causa sufficiens est petendi, & obtinendi tale privilegium, & ratione infirmitatis, non nobilitatis concedi solet, præsertim cum clausula illa, de *consilio utriusque medici*, non per nobilitatem, sed per solam infirmitatem verificari possit.

DECISIO XXVII.

Ex consil. 21. alias 26.

27 **C**onfessarius secundus per Bullam cruciatæ electus, penitentiam a primo impositam, etiam non auditis peccatis, pro quibus imposita fuit, iusta ex causa commutare potest; sufficit enim cognitio causæ, quæ ad penitentiam commutandam iusta videtur, cum ex iusta causa inferior super lege superioris dispensare poterit, vt ait Nau. in *Ma. prælad. 9. nu. 15.*

DECISIO XXVIII.

Ex consil. 21. alias 17. de priuileg.

28 **C**ruciatam præsentis anni suscipiens, etiam indulgentijs, & gratijs Bullæ cruciatæ in præterito anno concessis gaudet, quoad illas clausulas, quæ per Bullam posteriorem non sunt sublatae, eo quod gratia semel facta, donec reuocetur, vel suspendatur, durat. Si super gratia, de officio deleg. & si suspendatur, suspensione sublata, tam effectiva remanet, quam ante suspensionem erat, arg. c. *Pastoralis*, de cau. posses. & propriet. per posterioris autem Bullæ acceptationem, priorum Bullarum suspensio tollitur.

DECISIO XXIX.

29 **H**abentes Cruciatam alternis dieb. oua, & lacticia aut pisces comedere possunt, ita vt vno die pisces, & altero oua, & lacticia comedant, in eandem tamen cenam, vel in eodẽ prandio pisces cum ouis, & lacticijs comedere non licet; quia si pisces sine dāno notabili salutis comedere valent, per tenorẽ Bullæ oualitate, comedere nõ possunt; vel si piscibus vesci nequeant sine notabili damno, illos comedendo peccant, cum peccatum sit mortifera, vel notabiliter valde lesura comedere, potentes iuste alia comedere, vt affirmat Nau. in *Ma. c. 15. nu. 13.* & proinde iuste in eodem prandio, vel eadem cenam, simul illa comedere non possunt.

DECISIO XXX.

30 **Q**ui a ieiunio excusatur, per Cruciatam in prædio pisces, & in cenam oua comedere potest, & ecõtra; sed non verumque in vno prandio, aut cenam; quia contingere potest quod in altera illarum pisces, & in altera oua, & lacticia sine damno salutis comedere possit.

DECISIO XXXI.

Ex consil. 23. alias 47. de sent. excomm.

31 **M**endicantes religiosi ex suis priuilegijs, vel confessionarij ordinarij ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, ex sententia *Nauar. in Manu. c. 27. nu. 44. 48.* & 150. non solum excommunicatum generaliter ab homine, vel a iure, nondum tamen denunciatum, sed etiam specialiter excommunicatum ab homine, etiam denunciatum, & notorium clericum per confessorum post iustam satisfactionem partis in foro conscientie absoluerè possunt ex predicto *Nauar. in Manu. cap. 16. num. 31.* Cum in dictis Priuilegijs, & Bullis data

sit potestas generalis indefinita absoluerè excommunicatos a iure, vel ab homine, præuia factis factione sine vlla exceptione, & proinde vniuersali equipollet, & omnes comprehendit, cap. *Soluta*, de maior. & obed. & *glos. in cap. vt circa de elect. in 6.* Sic autem absolutus sacramenta, & beneficia sibi canonice collata accipere, & cum alijs communicare potest, & alij cum illo, etiam in iudicio, & foro exteriori, eo quod sic absolutus non est verè excommunicatus, nec proinde excommunicatum communicatur, Arg. *in delictis. §. 2. ff. de noxalibus.*

DECISIO XXXII.

Ex consil. 24. alias 16.

32 **R**eligiosus priuilegium habens audiendi confessiones omnium eum in confessorum eligentium, accepta Bulla cruciatæ, omnes eum eligentes audire potest; si autem priuilegium habet audiendi omnes, qui de licentia ordinarij eum eligerent, non nisi habentes illam, vel accipientes Bullam, (quæ illam saltem eminenter continet) audire possit, cum Priuilegij tenor seruandus, & non extendendus sit. c. *Abbate. de verb. sign. & c. potro. de priu.*

DECISIO XXXIII.

Ex consil. 25. alias 15. de priuileg.

33 **C**ruciatæ commissarius, non omnes gratias & facultates a sede Apostolica quibuscunque concessas, virtute illius suspendere valet, sed illas solum, quæ sunt similes eis, quas Bulla cruciatæ concedit, & alias, quæ aliquo propinquo respectu acceptionem Bullæ cruciatæ impedire possunt.

DECISIO XXXIV.

Ex consil. 14. alias 32.

34 **Q**ui testatus est, vt centum Missæ celebrarentur pro anima eius post mortem, ex negligentia hæredum, seu executorum, qui eas tardius celebrari faciunt, a penis purgatorij tardius liberatur, quam si maturius itam post mortem fierent; quamuis enim meritum testantis, vel pena animæ lucentis in purgatorio, ob culpam hæredum, vel executorum augetur, vel minui non potest, liberatio tamen a penis ex eorum negligentia impeditur, dñ ea, quæ fieri, aut restitui mandauit facere, & restituere differant, c. *in literis. de raptoribus.* & *S. Thom. Quodl. 6. art. 13.* & *Nau. in Man. c. 17. nu. 68.*

DECISIO XXXV.

Ex consil. 4. in Nouis. deest in antiquis.

35 **F**amulari quamuis sine peccato liceat malo, etiam idola, quoad ea, quæ nec legi diuinæ, nec naturali, nec humanæ obligatiõne contraria sunt, capit. *Non semper.* & capit. *si Dominus. 1. q. 3.* illis tamen in illicitis seruire non licet, vnde seruientes heris concubinarijs, deferendo nuncia, madata & alia sui Domini, & renuciando mandata concubinae, aut comitandõ herum illam ad euentem, & illam ad dominum venientem, & vtrique in domo & mensa, & in alijs similibus inseruiendo, peccat, nec nisi Dominum deferendo absolui possunt.

DECISIO XXXVI.

Ex consil. 6. in Nouis. deest in antiq.

36 **C**ooperatio facta alieno malo tunc vere, vel præsumptiuè mortaliter peccat, qui verè, vel præsumptiuè facta alterius, quatenus peccatum mortale est, consentit, alias minime.

DECISIO XXXVII.

Ex consil. 9. in Nouis. deest in antiquis.

37 **C**onfessiones ab aliquo factæ, qui post irregularitatem incursum sine dispensatione ordinem, aut beneficia accipit, quæ multo tempore restet, & interim semper confitetur, & virtute Iubilæi absoluitur, cum sine debita attritione fiant, reiterandæ sunt, siuctusque beneficiorum sic acquisitorum in quibus ius nullum habet, restitui tenetur, nec virtute Iubilæi ab irregularitate dispensatus censetur.

DE-